

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Constantii mors, Constantinum filium imperatorem relinquentis. Cap. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

excessit ex pueris, & iam ad adolescentiam peruenit, summo apud illos honore dignatus fuit. In qua etate & honore nos eum vidimus, cum Palæstinorum regionem vnam cum imperatore, qui cæteros anteibat etate, peragrabat. Ad cuius dexteram assistens, illis, qui eum videre cupiebant, se adolescentem facile præstantissimum declaravit: ut potest in quo eximia regiae cuiusdam indolis indicia, ex eo quidem tempore, elucere coeperunt. ut enim corporis compositione ad pulchritudinem apta, & statuta (ut etas tulit) proceritate, nemo cum illo comparari potuit, & virium etiam firmitate tantum superauit aquiles, ut illis nonnihil terroris iniiceret: Sic virtutibus animi multo magis, quam corporis ornamenti nobilitatus est: quippe modestia primum suum decorauit animum: deinde politiore literatura, tum prudentia à natura propria in sita, ad extreum sapientia diuinitus animo consignata, tanquam alimentis quibusdam eximiè educavit.

Constantinus ad patrem, propter Diocletiani insidias revertitur. C A P. X I I I .

Quem quidem cum illi, qui tum rerum potiebantur, adolescentem generosum esse, robustum, procerum, excuso & erecto animo præditum animaduerteret, anuidia simul fuerunt & metu percussi. Qua re induiti, tempus opportunum obseruant sedulò, quo graui aliqua contumelia eum afficiant. **Q**uod quidem adolescens animaduertens (siquidem dei nutu insidiae contra illum comparatæ, semel & iterum fuere perspicue deprehensæ) fuga salutem quæsivit: atque in ea re exemplum magni prophetæ Moysis est probè imitatus. Deus etiam omnia eius causa faciebat, prouidè prospiciens, ut in tempore præsto esset ad patri succedendum.

Constantii mors, Constantinum filium imperatorem relinquens. C A P. X V .

Exemplò enim, ubi insidiarum machinas effugit, celeri gradu accessit ad patrem: & protinus post longum temporis interuallum, quo absuerat, in eius spectum

spetum venit. Eodem momento patris Constantij vitæ exitus in acie nouaculæ, ut dicitur, constituit. Postquam autem filium ex insperato adesse vidit, exiliens cubili, illum complexus est, atq; illud quod sibi iam vitam edituro solum tristitiam attulerat (filij nimirum absentia) se ex animo iam eiecisse, afferuit: precesq; propterea, cum gratiarum actione Deo obnixè fudit. Iam verò morte pluris prope, quam immortalitatem æstimare se dixit: ac tādem familiam suam resq; vniuersas ordine dispensauit. Atque in medio filiorum pariter & filiarum ipsum, instar chori, vndique cingentium, se statuens, & in ipsa regia, inq; regio cubili decumbens, regni hæreditate filio, quæ reliquos ætate anteibat, communi lege naturæ tradita, decessit è vita.

Quoniam pacto Constantij funere elato exercitus Constantinum Augustum salutauerit.

CAP. XVI.

NEQUE tamē propterea imperium imperatore destitutum permanxit: quippe Constantinus paterna pura inditus, primum è paternis ædibus egressus est, & patrem, tanquam à mortuis ad imperium regendum denuò reuocatum, suo ipsius vultu & effigie omnibus representauit: Deinde magna paternorum amicorum turba, eum comitante, funeri præiuit, patremq; produxit: quinetiam populi infinita multitudine, militumq; constipanti agmine partim antecedentium, partim subsequentium, genitorem sanctissimum cum omni splendore & maxima pompa extulit: Faustis acclamationibus, suavi hymnorum concentu, omnes beatissimum illum celebrant: & consentientibus animis filium iam in imperij gradu locatum, patrem ad vitam quodammodo reuocasse existimant. Extemplo igitur secundo & prospero applausu nouum regem, imperatorem & Augustum ipsa prima voce contentius, prædicant. Quibus acclamatiōibus tam auspicatò in filium editis, patri mortuo non nihil ornamenti allatum est: filium cuncti beatum putant qui talis patris fuit successor declaratus, omnes gentes, quæ ipsius obsequabantur imperio, incredibili læti-

Gg tia